



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 7. De obligatione hominis ad dilectionem proximi & peccatis ipsi
oppositis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

festetur exterius: item omnis Blasphemia, execratio, maledictio, pro ut ex affectu pravo in Deum procedunt, sunt peccata mortalia contra præceptum Dilectionis Dei. Amori enim Dei, è diametro opponitur odium Dei, & Blasphemia.

Articulus Septimus.

De obligatione Hominis ad Dilectionem proximi & peccatis oppositis.

I. **D**ilectionis proximi præceptum fundatur in verbis Christi, *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Hic autem finis charitatis in omni dilectione meritoria fervari debet, ut homo Deum propter se ipsum, se autem & proximum propter Deum diligat. Et quamvis nullum sit præceptum de amore sui ipsius, tamen est ut mensura dilectionis proximi, quam mensuram indicant illa axiomata naturæ à principio insita; quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: & omnia quæcunq; vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis. Hoc autem præceptum partim est negativum, partim affirmativum: negativum est quatenus prohibet

hibet odium & omne nocumentum proximi. Affirmativum est quatenus præcipit formalem dilectionem, quæ in tribus consistit. 1. Nec malum velle, nec malum inferre proximo : 2. Benevelle & benefacere illi : 3. Quantum in nobis est omne nocumentum ab illo propulsare.

2. Quicumque odio proximum ita prosequitur, ut ei malum velit, optando vel gaudendo quando evenit, aut directe inferendo, in re gravi peccat mortaliter hoc patet ex 1. Jois 3. *Qui odit fratrem suum homicida est, & scitis quoniam omnis Homicida non habet vitam aeternam in se manentem.* Licet tamen interdum optare alicui malum, ex solo affectu justitiæ, in odium non hominis sed peccati ipsius : sed hoc cum cautela fieri debet, ne sub titulo pietatis, animus male affectus, impietati habenas laxet.

3. Omnis homo tenetur benefacere proximo, & in casu necessitatis debitæ circumstantionatæ non benefacere, in materia gravi, peccatum mortale est, nam verbum diliges, non modo affectum, sed cum affectu effectum requirit. Necessitas autem

vera est: quando homo subsidio alieno indiget, ad vitam sive spirituales, sive corporales, sive morales & civilem, per quam intelligitur fama & honor conservanda.

4. Inimico etiam in inimicitia perseveranti, tenetur quis ex corde injuriam remittere, deponendo omnem rancorem, ita ut nec liceat ipsi in bonis spiritualibus male velle: nec in temporalibus detrimentum optare. Patet Matth. 5. *Diligite inimicos vestros & benefacite his qui oderunt vos.* Non tenetur tamen illi remittere actionem injuriarum, sed potest dimisso omni rancore justam satisfactionem, secundum jura & juris modos exigere.

5. Tenetur quilibet quantumvis inimico signa communia Charitatis exhibere, nisi illa in grave nocumentum. Sui ipsius, inimici, vel tertiæ personæ cederent. Hæc signa sunt: salutantem salutare, loquenti respondere, vendere merces postulanti: particularia sunt: colloquium familiare, auxilium speciale, munerum oblatio: quæ non semper obligamur præstare inimico, quamvis interdum ratione gravis necessi-

tatis

tatis aliquod horum inimico exhibere teneamur.

6. Quicumque proximi etiam inimici injustum malum non impedit, quando absque gravi detrimento effective impedire potest, in re gravi mortaliter peccat. Quia Eccles. 17. v. 12. *Deus mandavit illis unicuique de proximo suo.*

Articulus Octavus.

De obligatione Hominis ad actus, à cultu Religionis procedentes.

I. **C**ultus pro ut procedit à virtute Religionis duplex est: Nimirum: interior tantum, & interior & exterior simul. Cultus interior tantum est: qui nullis exterioribus signis manifestatur, tales actus sunt omnes affectus interni, qui ad colendum Deum referuntur. Cultus interior & exterior simul est: qui non tantum internis, sed etiam externis signis ostenditur: ut sunt sacrificia, orationes, genuflectiones; tres vero potissimum actus virtutis Religionis assignantur, suntque: Oratio: Sacrificium, sacrae observationes.